
Emanuel
(6) Coll^{te}



Mason
JJ. 434



9368

BOUND BY HAYDAY

Grenville V. III. p. 180.
Evidently printed at Rome by Jacob Mazochius ?
Probably 1st edition

EPISTOLA

Potentiſſimi: ac Inuictiſſimi Emanuelis Regis Portugallie ⁊ Algarbioꝝ ⁊c. De Victoriis nuꝑ in Affrica habitis. Ad S. in xp̄o patrem ⁊ dñm noſtrum dñm Leoné. X. Pont. Max.



BIBLIOTHECA · BODLEIANA

SAnctiſſimo in Chriſto
Patri/ac Beatiſſimo do/
mino dño noſtro/ Eiuſ/
dē Sanctitatis deuotiſſi
mus filius Emanuel dei
gratia Rex Portugallię
& Algarbiorꝝ/ Citra ul/
traq; mare in Affrica do
minus Guineæ & Con/
quiſtæ nauigationis/ac
cōmertii Aethiopiæ/Arabiæ/ Perſię/atq; Indiæ:
humillima Beatorꝝ pedum oſcula. Poſtulat no/
ſtra in ſanctā Sedem Apoſtolicam/ ac pręcipue
in ueſtram Sanctitatem obſeruantia Beatiſſime
Pater: ut ſucceſſus noſtros/præſertim qui ad dei
cultum/ & Catholicæ fidei propagationem ſpe/
ctant/ eidem/ ut uero Chriſti Vicario/ac ſanctæ
Romañ. Eccleſiæ Arbitro/ perſcribamus. Poſtq̄
ſuperioribus diebus/noſtrorū in India proſpere
geſta/Beatitudini ueſtrę ſignificauimus/placuit
ſummo Deo (unde omnis uictoria pendet) aliā
nobis/non minus inſignem/contra ſui ſanctiſſi/
mi nominis Hoſtes uictoriam / de Mahumeta/
nis concedere tropheū. Conſiderantes nos San/

ctiſſime pater/q̃ grande opus/& q̃ pręclarum ſit
facinus Fecenſe Regnũ/ & Marrochenſe in Af/
frica debellare: in quo tãtopere a tam ſedulo ſtu
dio ſemper laboramus: & q̃ pręcipuus uſus rei
cardo clauiſq; ſit Azamoreñ. Ciuitas/ea eſt Vrbs
Mauritaniæ/ & muroꝝ turriumq; fortitudine/
& piſcoſi littoris/ſoliq; ubertate percelebris/atq;
adeo Chriſtianis: ſed fruſtra antea expetita. Bra
gantiæ Ducem/noſtrum cariſſimũ/ex cariſſima
Sorore Nepotem / ad eam expugnandam miſi/
mus / cum haud exigua Quingentoꝝ nauigioꝝ
claſſe/uiris/equis/armis/omnifariis belli inſtru/
mẽtis/cęteriſq; hmõi expeditioni oportunis/op/
time quidem inſtructa. Cuius exercitus Decem
& octo Milliũ bellatoꝝ numero erat: in quibus
& multi Proceres/Nobileſq; uiri/ & Duo millia
& Quingenti/tã Cataphrati/ q̃ expeditores equi
Ergo cum uniuerſa Claſſis in portũ Mazaghã/
ab urbe Azamor nouem millibus paſſuũ diſtan
tem appuliſſet/ noſtris haud magno negotio (li
cet in hoſtiũ conſpectu) in terram egreſſis/Dux
ipſe uerſus Azamor/ inſtructa ut oportebat acie
contendit. In itinere quędam pugnæ pręludia/
cum hoſtium iactura/nullo noſtroꝝ hominum/

paruo Equoꝝ damno ſunt habita : eo die nihil amplius. Poſtridie diſpoſito exercitu/ Vrbẽ oppugnant/ ubi ad Vndecim Sarracenoꝝ millia/ ac totidem fere in campo Equites / & innumeri Pedites/noſtroꝝ pręſentientes aduentum/ bello ſatis accincti expectabant. In ea oppugnatione nõnulli Mauri/& quidam etiam Primates interempti/adeoq; a noſtris fuere confracti/ ut deſperata omni ſpe/ ſequenti nocte qua parte Caſtris uacabat(non enim per loci ſitum totam Vrbem obſidio circumierat)omnes clanculum abierũt/ ſolamq; reliquere Vrbẽ. Poſtera luce hoc cognito/Dux cum exercitu/ſolemniq; pompa Vrbem ingreditur/ occupatq; : atq; in ipſa Mahumetis præcipua ędę(plures enim & aliæ erant / quas Mexquitas uocant)& templi magnitudine/ & ędificioꝝ ſtructu percelebri/ Deo optimo maximo/miſſa/ ac diuina officia cũ laudibus ſunt decantata. Clementiſſime Ieſu/q̃ admiralis eſt prouidentia tua/ꝙ ubi ad Mille Annos Impius ille Mahumetes/ tãto tuo opprobrio celebratus/ubi Chriſtianũ nomen tanto tempore peſſundatũ/ totieſq; blaſphematum/ibi nunc occulto/& iam pręſago iuditio tanta Sathanæ ignominia/ac de

decore/tuũ Sanctiſſimũ nomen/tua laus/tua ue ra eternaq; gloria prędicetur. Inuenta in ea Vrbe/ ac parta Machinarꝝ bellicarꝝ/armorꝝ/ac frumenti haud contemnanda ſpolia/noſtro exercitui(quem illic habemus/ ut noſtrum propoſitũ deo propicio conſequamur)admodũ oportuna. Perlato hoc ad finitimos nuntio/ilico Almedinę Incolæ (quæ Ciuitas ab Azamor Quinquaginta paſſuũ millibus diſtat/ & ipſius magnitudine/& glebæ fertilitate nobilis) noſtrorꝝ metu: quos & al's ſępius fuerant experti/Vrbem pęnitus deſeruere/ ac libere noſtris permiſere. Thiti etiã antiquiſſima/& maxima olim Ciuitas/ atq; alia q̃plura Oppida/ac finitima loca/ ſtatim ſeſe nobis dedidere/Tributa etiã/Cenſumq; pro noſtro arbitrio penſuri. Ex qua quidem Beatiſſime Pater diuina freti Clementia / proculdubio ſperamus/ut tã auſpicata initia/melior progreſſus/optimuſq; finis ſubſequatur: atq; illud Marrochorꝝ Regnum / quod totius fere Affricæ Caput & Imperium fuit: Vnde & ipſa Hiſpania/ omniſq; Chriſtiana Reſpublica tot damna / tot clades/tantam ſanguinis effuſionem/ac Catholica fides tot opprobria/tot ignominias indigniſ

ſime pertulit/nunc certe diuino ſuffragante nu-
mine/ in noſtram poteſtatem pęnitus redigatur
ac tantæ culpæ malorũq; luat pęnas: ac ſic Ma
humetica perfidia depræſſa/uerus dei cultus/&
Chriſtiana religio (quod ſolum ſemperq; opta-
mus) ſublimetur. Bene ualeat Sanctitas ueſtra:
quam Deus optimus maximus diu/ac fœliciſſi-
me obſeruare & augere dignetur. Datũ in Vrbe
noſtra Vlyxboñ. Pridie Kaleñ. Octobris. Anno
domini. M. D. XIII.

- 12102 -

C513
M294e2

eves

K/7/-